



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ivlii Fatii S. J. Liber De Mortificatione Nostrarvm
Passionvm, Prauorumque affectuum**

Fazio, Giulio

Köln, 1604

De differentia quatuor prædictorum exercitiorum. XIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60991)

gis nobis, corrupto hoc seculo, à damnis huius abusus cauendum est, occurrentumque tempestiuè discreta quadam charitate, & matura prudentia. Id tamen interim animaduertere oportet, ne nimia cautela simplicium mentes offendantur, neque è cōtrario nimia securitate illis incommodis locus detur, quæ inde prouenire possent.

CAPVT XIX.

De differentia predictorum quatuor exercitiorum.

CVM sit proprium Mortificationis officium, omne à nobis perfectionis impedimentum amouere, vt superius dictum est, nō est dubium, quin prædicta quatuor exercitia *Renunciationis, Abnegationis, Resignationis & Indifferentiæ*, sint quædam ipsius Mortificationis instrumenta, quibus illa ad finis ac propositi sui executionem vtatur, cum singula eò spectent, quod ex eorum explicatione constat, vt Dei seruum ab omnibus tam interioribus, quàm exterioribus liberent impedimentis, quibus fortassis retardari posset. Desideranti tamen exactius, ac magis speciatim scire horum quatuor exercitiorum differentiam, in quonam videlicet consistat; hoc do responsum, facile hanc differentiam

DE MORTIFICAT. 157

ex fine, quem singula spectant, posse defurni. Renunciatio enim eò spectat, ut hominem à rerum exteriorum, ut diuitiarum, ac patriæ, parentum, amicorum ac similiarum inuolucris expediat, quæ, ut ait D. Gregorius spinarum instar mentem nostram dilacerant, & ea quiete interiori priuant, quæ ad consecutionem deuotionis est necessaria.

Abnegationis officium est, ab impedimentis interioribus, ut sunt concupiscentia carnis, & animi affectus inordinati, nos liberare, à quibus eò maiora nobis imminent pericula, quò insolentiores sunt, minusque ab illis seiungi possumus:

Resignatio nihil aliud spectat, quam Dei seruum superioribus suis ita subdere, ut nihil ille velit, quod non cum ipsorum voluntate, ad maius Dei obsequium & sui ipsius commodum spirituale, prorsus concordet. Quia verò hæc Resignatio promptitudo quædam est, & bonæ voluntatis atque intellectus nostri dispositio, facile potest contingere, ut non obstante tali resignatione communi, quando venitur ad executionem particularem eorum, quæ à nostris superioribus sunt iniuncta, sensus, per quem executio fieri debet, repugnet, atque ita recalcitet, ut

158 DE MORTIFICAT.

aliquando experiatur quis illud, quod Apostolus Paulus in se ipso sentiebat cum diceret: *Non quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago*: Ideirco ponitur Indifferentia, quartum & vltimum exercitium, cuius officium est hominem ita afficere, vt sine vlla differentia aut difficultate re ipsa amplectatur & exequatur id, quod Deum Dominumque nostrum, suosque superiores ab ipso, quomodocunque ac quandocunque, velle intelligit.

Itaque, vt vno verbo concludamus, horum exercitiorum differentia ex diuersis eorum finibus, vt dictum est, colligitur; Primum, respicit exteriora. Secundum, interiora. Tertium, disponit & ordinat hominem erga suum superiorem Quartum, reddit hominem erga ea, quæ à superioribus mandantur, indifferentem. Et hæc sunt, quæ de his quatuor exercitijs, eorumque differentia tradere voluimus.

CAPVT XX.

De insigni quodam interioris Mortificationis effectu, compositione scilicet hominis exterioris, eiusque decoro.

Quando aliquem vocamus *humilem*, nihil aliud hac voce significare volumus, quam in ipso esse virtutem hu-

milita-